Testamenti tenor est talis. Sigismundus 3ius Dei gratia Rex Poloniae etc. Nos itaq.
cum animadverteremus quod tametsi idem testamentum etiam sigil-
lum nullum contineat multis tamen nominibus privilegiatum est
primum enim militare est deinde in captivitate durissima [illegible]
nimirum videri debet si homines omnibus rebus spoliati
etiam sigillis careant. Tum peste grassante ab homine pes-
tilentia infecto conditum. Praeterea quod proborum virorum et sa-
cerdotum nobis bene cognitorum subscriptiones et testimonium
habeat. Faciendum nobis esse existimavimus ut supplicationi prae-
fatae annueremus illudq. approbaremus quemadmodum iam ex-
nunc in omnibus punctis clausulis et articulis approbamus
confirmamus et ratificamus supplentes in eo omnes defe-
ctus tam formis quam materiis et declarantes illud robur per-
petuum habere debere non secus ac si coram [illegible] terra-
ris Leopoliensis confectum esset omniaq. et singula in eo-
dem testamento tam uxori quam alijs omnibus personis inscrip-
taaq. assignata volumus decernimus et declaramus ut non
minorem valorem in omnibus Judicijs et alias ubiq. habeant
ac si coram actis autenticis regni nostri recognita et inscrip-
ta essent contradictione cuiuscunq. nihil obstante. In cuius
rei etc. Datum Warsaviae die X Mensis Maij Anno Domini Millesimo
Sexcentesimo quinto

Arbitramentum civium Leopol.

Sigismundus etc.

Spectabilibus et Famatis Proconsuli Consulibus Advocato
Scabinis quadraginta viris totiq. communitati tum et [illegible]
urbanis Civitatis nostrae Leopoliensi Fidelibus nobis dilectis gra-
tiam nostram Regiam Spectabiles et Famati Fideles nobis di-
lecti ex querelis nonnullorum civium qui nomine quadraginta
virorum civitatis illius antedies non adeo multos literas man-
datorum nostrorum admonitorias [illegible] salvi conductus in cer-
tas personas necnon citationes aliquot in aula nostra impetrarunt
intelleximus certas offensas iterum inter magistratum et co-
munitatem civitatis illius exortas esse cum enim magistra-
tus de nonnullorum insolentia et rursus cives de Magistratu

327

conquerentur, eo fit vt animi vtrinque in dies magis et magis exacerbentur non sine insigni rerum sub hoc praesertim turbulenta tempora perturbatione. Scimus annis superioribus aut Maiestate nostra omnes fere differentias amice sopitas et per certos deputatos nostros determinatas fuisse huic transactioni vtrinque Fid. Vrs inhaerescere videntur vtrinque tamen ei non satis fieri contendunt. Ne itaque ea res motus aliquos cum periculo Ciuitatis illius finitimae excitet quod a tea bono euentu (vt nobis quidem videretur) fecimus idem nunc quoque faciendum nobis esse existimauimus. Mandamus itaque Fid. vestris seriò vt quamprimum id commode fieri poterit de omnibus differentijs quaecunque nouissime post priorem transactionem Vrãm factam exortae sunt amicabilem compositionem tentent, et potius fraterne omnia sopiant quae vt lites ex litibus serant et Rempub. priuatamque negligant. Quod vt commodius fiat et facilius succedat arbitratores et moderatores earum differentiarum aut Maiestate nostra Regia iam ex nunc inter Fid. Vrãs designamus Reuerendum in Christo Patrem Dominum Joannem Zamoyski Archiepiscopum Leopolien. et Magnificum Joannem Comitem ab Ostrorog Castellanum Posnanien. Mariburgen. et Garwolinen. Capitaneum quibus specialibus nostris id quidquid est negocij demandauimus. Quoniam autem Magistratui cum suburbanis quoque quaedam differentiis intercedant. Ijdem eas quoque ibidem proponant et si fieri commode poterit inter se componant. Volumus itaque vt Fid. Vrae in ijs causis tam quae ex nouis actionibus veniunt quam etiam quae suburbanis in Relationibus nostris dependent ad trium mensium a data praesenti computandorum decursu ab omni prorsus iuris processu abstineant interim vero vtrinque pacate sese gerant et compositionem praedictam tentent quae nisi successerit Tum demum Fid. Vrs iuri suo (quod vtrinque integrum esse volumus) locus itaque ne fecerint si gratiam nostram charam habent.

Littera occlusa

Sigismundus 3us

Intelleximus exortas esse iterum quasdam dissensiones inter quadraginta viros tum etiam suburbanos et Magistratum Ciuitatis nostrae Leopolien. quam rem sub hoc praesertim turbulenta tempora periculosam esse animaduertentes Sync. Vram simul cum Reuerendissimo in Christo Patre Domino Joanne Zamoysky Archiepiscopo Leopolien. cum Magnifico Joanne Comite ab Ostrorog